



Per.
Lat
020

Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 30. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium subscriptionis pro hocce anno contractiore 2 coronae.

De sollemnibus Shakespeareianis.

Stephanus Magister Moderatori

Benevolisque Lectoribus Salutem.

Gaudio non mediocri me litteris tuis affectum esse scito. Ad quas tamen si tardiuscule respondi, succensere¹ noli, quia tot laboribus variisque negotiis obrutus² eram, ut ad officium respondendi, mihi semper iucundissimum, satis temporis non invenerim. Nunc demum tempore paschali³ iucundo perfecti, quod volui.

Sententiam meam rogasti de sollemnibus, quae in patria nostra in honorem Shakespeareii ante hos trecentos annos defuncti agebantur nuperrime. Interrogasti me, rectene et sine patriae caritatis⁴ offensione litteratorum⁵ hominum nostrorum circuli⁵ facerent, cum memoriam poetae e populo Britannico orti hoc ipso tempore celebrarent, quo Britanni sine ullo conscientiae angore⁶ conflagrationem orbis terrarum commisissent, etiam Acheronta moventes, ut simul cum populo Germanorum sibi aemulo⁷ nobis vero amicissimo nos quoque suffocarent?⁸

Priusquam, quid de Shakespeareii sollemnibus censeam, tecum communico,⁹ attende animum, quaeso, in res non-

nullas, quae ante horridum^{2a} bellum concordibus gentium animis tractabantur, nunc autem in longum tempus, si non in aeternum, sublatae¹⁰ esse videntur. Quis nempe nunc gentium¹¹ conventum¹¹ curet, ubi de morbis depellendis, de rationibus educandi, de viis ferratis aedificandis, de nescio quibus generis humani commodis oommunibus agatur! Hodie, quos gentium conventus appellamus, in omnium rerum humanarum eversione¹² cogitari non possunt, cum pars populorum universi orbis terrarum adeo infesti sint alteri parti, ut si auri montes eis pollicearis, convenire nolint.

Nos quoque, qui ad hunc diem superiores¹³ bello sumus, tales animos in hostes nostros gerimus, quales merentur. Neque tamen odia mente alta reposituri sumus; immo ingenia¹⁴ litterarum hostilia illā persequimur admiratione, quā par est. *Molière*, *Shakespeare* atque Russorum scriptores clarissimi apud nos etiam nunc leguntur, quia lumina clara non tantum populis suis lucere arbitramur, verum

¹ haragudni ² elhalmazva ³ husvéti ⁴ hazaszet-
retet ⁵ irodalmi köreink ⁶ aggály ⁷ versenytárs
⁸ megfojtani ⁹ közölni ¹⁰ félretéve ¹¹ nemzetközi
összejövetel (ú. n. kongresszus) ¹² felfordulás ¹³ fő-
lényben vagyunk ¹⁴ a lángelméket

omnibus hominibus, qui erudiri delecta-
rique cupiant.

Quomodo apud nos de hac re existi-
maretur, *Adalbertus a Berzeviczy*, Acade-
miae Litterarum Hungaricae praefectus,
demonstravit, cum invitatus a Societate
Shakespeareiana Vimariensi¹⁵ ibidem
haec verba fecit:

«In Hungaria — inquit — plus quin-
quaginta annos Shakespeareii cultus insti-
tuti coeptus est, qui firmis radicibus in
animis Hungarorum nititur. Fabulae¹⁶
immortales poetae iam diu in scenis
nostris aguntur atque, triginta annos ab-
hinc integrum Shakespeareium a poetis
nostris clarissimis versibus translatum
possidemus. Nos igitur et in hac re Ger-
maniae exemplum nobile sequimur et
sicut arctissime¹⁷ coniuncti certantes in
dies amicitiae vincula inter nos arctius
iunguntur, ita et iisdem animis irā et
studio vacuis etiam in belli furoribus

memoriam poetae in terra hostili nati
celebramus. In hac re multum differi-
mus¹⁸ a hostibus nostris, quod etiam
documentum est praestantiae nostrae cer-
tumque pignus¹⁹ victoriae futurae. Quibus
animis ducti facilius revertemur ad beatae
pacis statum tranquillum, ad commer-
cium²⁰ populorum renovatum sine ullo
pudore, sine ullā nostri contemptione:²¹
cum, hostes qui nobis nunc sunt, pudore
acti mores suos mutare cogentur».

¹⁵ weimari ¹⁶ színművei ¹⁷ nagyon szorosan
¹⁸ különbözünk ¹⁹ záloga ²⁰ kölcsönös érintkezés
²¹ megalázkodás.

Xenion, sive munus malesalsum.¹

O dives, dives, non omni tempore vives :
Fac bene, dum vivis, post mortem vivere
si vis.

Ad *Ditis*² properant currentes atria² *dites*
Divitiisque suis, ut *vitiis*, pereunt.

¹ elszóott, horsos ajándék ² a pokolba.



De Hindenburgio.

M. T. Cicero in oratione de imperio Gn.
Pompeii in summo imperatore quattuor
has res inesse oportere existimat ; scientiam
rei militaris, virtutem, auctoritatem, felici-
tatem.

Insunt haec quattuor res in plurimis du-
cibus belli hodierni ingentissimi ; sed in
nullo tam eminenter ac in Hindenburgio.

Singularis¹ eius scientia rei militaris est
strategema² lacuum,² in qua re nullus bellid-
dux post hominum memoriam ei par in-
venitur. Istā scientiā cum minimo detri-
mento proprii exercitus clades maximas
intulit Russiacis.

Quid de virtute belliducis senis post
quingagesimum annum militiae suae di-
camus ? Quis unquam tam proventus aetate

tantas victorias de hostibus reportaverit,
quantas Hindenburgius ?

Auctoritas Hindenburgii tanta est, ut ipse
sit magister etiam ceterorum belliducum.

Felicitas eius non solum scientiam, vir-
tutem et auctoritatem ei inesse, sed etiam
auxilium Dei cum eo esse testatur.

Oremus igitur Dominum, ut Hindenburg-
gium, nec non et ceteros duces nostros
etiam dehinc semper fortunet.³

(*Carolus Puskás.*)


De leone et asino.

Fabulam Michaëlis Csokonai conv. Eug. Kovács.

Leo asinum in silvam secum ducebat, ut
ille rugitu⁴ leonis simili bestias conterre-
ret⁵ et in suas insidias⁶ pelleret. Quos dum
corvus conspicit unā⁷ ambulantes, increpat
leonem de celsa arbore :

— «Non te pudet⁸ regem animalium unā
migrare cum asino detestabili ?»

¹ egyéni, rendkívüli ² a tavak haditudományá
³ áldja meg ⁴ ordítás, bögés ⁵ megrémítse ⁶ az ő
leshelyére ⁷ együtt ⁸ nem szégyelled



De voce¹ repercussa.¹

Andreolus² filius saltuarii³ erat habitabatque cum parentibus ruri sub silva⁴ valde magna amoenissima. Andreolus duas horas ante meridiem, duas pomeridie in schola discebat, ceterum vero maximam partem diei sub divo⁵ degebat.⁶ Sed quia septem modo annos natus erat, nondum adhuc longius a domo ludens discesserat, nec saltus propinqui naturam noverat.

Die quodam sereno Andreolus in prato⁷ flores legens atque papiliones⁸ captans cursitabat adeoque laetus erat, ut iam et alta voce cantaret. Cum autem ludens cursitansque propius saltum⁹ venisset, etiam

— ,Quicumque mihi prodest,⁹ — respondet leo — licet me comes sequatur.⁴

Eadem est mens¹⁰ etiam hominum potentium, quando inopes in amicitiam recipiunt.

De Arabe famelico.¹¹

Arabs quidam a comitatu¹² mercatorum¹² se perdiderat in desertis.¹³ Iam aliquot dies cibo carens erraverat et iam in eo erat, ut fame sibi moriendum esset.

Tum demum ad cisternam¹⁴ pervenit, ubi comitatus mercatorum requiescere atque se cibo, camelos¹⁵ pabulo,¹⁶ praesertim vero utrosque aquā reficere solent. Ibi arabs famelicus sacculum in arena iacentem conspicit, pūtansque nuce¹⁷ ficosve in eo esse, tollit eum avide. Ast ubi sacculum aperit, decepta miseri ingemiscit fames: «Ah vae! nonnisi margaritae¹⁸ sunt.»

(Latine vertit Emer. Klopfer.)

⁹ hasznomra van ¹⁰ gondolata. ¹¹ kiéhezett ¹² karaván ¹³ puszta ¹⁴ sivatagbeli víztartó-medence ¹⁵ teve ¹⁶ takarmány ¹⁷ dió ¹⁸ gyöngy.

alteram vocem incerte cantantem audivit. St! Consistit, circumspicit; videt neminem.

Nihil est. Pergit cursitare, cantitare, lallare.¹⁰ Sed ecce, nunc iam clariorem suo similem audit lallum.¹¹ Consistit iterum, figit¹² oculos in saltum inelamatque ignoto: «Eho!¹³ Ubi es? Eho!»

Responsum: Eho!

Andr.: Eho! Quis es? Eho!

Responsum: Echo!¹⁴

Andr.: Hoc tibi nomen est: Echo?

Responsum: est echo.

Andr.: Eho, Echo! propius ad me tu veni!

Responsum: tu veni!

Andr.: Ego non audeo intrare in saltum; tu veni in pratum!

Responsum: ... in pratum?

Andr.: Ita, ita!¹⁵

Responsum: i-a, i-a!

Andr.: Quid? Tu mihi illudis¹⁶ «i-a, i-a»?

Responsum: i-a, i-a!

Andr.: Ego non sum asinus; tu es asinus!

Responsum: ... es asinus!

Andr.: Indicabo¹⁷ te, maledicax,¹⁸ matri.

Responsum: ... dicas¹⁹ matri!

Quousque vox illa, quae sibi *echo* nomen esse dixit, responsa ludibunda²⁰ data fuerit, revera nescio. Sed Andreolus noster ampliora iam nequivit perferre.²¹ Eiulans²² domum confugit ad matrem conquestum,²³ quae sibi ludibria²⁴ sub saltu accidissent.

Mater vero: Nullus te puer, ait, nec ulla puella ludibrio²⁵ habuit, carissime mi filiolo: sed saltus voces tuas ultimas ludibundus repercutiebat. Si tu in saltum clamasses: «Tu es angelus», respondisset tibi vox repercussa: «es angelus!» Si dixisses ei cum bona pace: «Vale!», reddidisset tibi echo suaviter: «Vale!»

Ceterum nota tibi bene, mi filiolo, etiam animos²⁶ hominum voces repercussas esse. Pro suavitate²⁷ suavitatem, pro duritie²⁸ duritiem reddent tibi cari vicini. (j. i.)

¹ visszhang ² a kis Andris ³ erdősz ⁴ erdő aljában ⁵ szabad ég alatt ⁶ töltötte ⁷ rét ⁸ pillangó ⁹ erdős hegyoldal ¹⁰ la-la-lázni ¹¹ lalalázás ¹² szegzi ¹³ hahó! hallod-e?! ¹⁴ visszhang ¹⁵ igen, igen! ¹⁶ gúnyolva mondod ¹⁷ megmondalak ¹⁸ te gúnyolódo ¹⁹ mondd meg ²⁰ incselkedő ²¹ elviselni ²² sírva, bögve ²³ elpanaszolni ²⁴ csúfság ²⁵ csúfot üzött belőled ²⁶ az emberek jó vagy rossz indulata ²⁷ nyájasság, kedvesség ²⁸ keményszívűség.

Ode Amicorum.

— *Ex avorum Hungaricorum carminibus collectis sub titulo: «Phoenix Pannonius». —*

*Non nos voluptas, vita vel impia,
Non nos vel indignum studium, aut scelus
Cóniunxit, hanc iucundus usus,¹
Usus amicitiam creavit.*

*Mores pares,² parque ingenii² vigor,³
Ac vota⁴ pulchre convenientia,
Par vita⁵ prorsus nos libentes⁶
Foedere perpetuo ligavit.*

*Sic quondam amavit Scipio Laelium,
Haesitque⁷ Orestes sic Pyladi suo:
Sic Castorem Pollux amasse,
Thesea Pyrithousque fertur.*

*Non tempus ullum, iurgiave⁸ aspera,
Aut rixa dissolvat, quibus imperat⁹
Virtute amor natus celebri,¹⁰
Matre eadem assidue fovendus.¹¹*

*Vitae timebo perniciem tuae,
Vitae timebis perniciem meae,
Nil charius tete ipso habebis,
Charius atque nihil me habebis.*

*Votum¹² saluti ultro faciam¹² tuae,
Votum saluti ultro facies meae,
Aeternum ero tibi in medullis,¹³
Tuque mihi usque eris in medullis.*

*Quamvis Gades,¹⁴ vel terra remotior
Incognitum me perferat advenam,
Ac tu ultimos visas Britannos
Postea, Hyperboreosve¹⁵ saltus :¹⁵*

*Divos rogabo te erigi¹⁶ honoribus,
Divos rogabis me erigi honoribus;
Supplex uterque poscet, aevum
Nestoris assequi utrumque posse.*

¹ a társas érintkezés, együttélés ² egyforma ³ a lélek derüje ⁴ s törekvéseink, vágyaink, eszméink szép találkozása ⁵ a tovább is egyforma életsors ⁶ éppen kedvünkre ⁷ ragaszkodott ⁸ sem vad viszálykodás ⁹ kiket vezérel, irányít ¹⁰ fenkölt ¹¹ melyet melengét ¹² imádkozni fogok ¹³ a lelkek mélyében ¹⁴ Cadix, Sp. orsz. ¹⁵ észak mesés (jég-)hegyei ¹⁶ magasra emelkedni.

Vana est cautio¹ nimia.

Secundum poetae ignoti de Sancto Germano carmen scripsit Guil. Lehmann Vratisl.

Germanus, Augustodunensis² olim episcopus, aliquando iter faciens a multis suppliciter orabatur, ut stipem³ et munera⁴ daret, atque haec laetus libensque largiebatur.⁵ Postremo ei obviam venit homo quidam miserabilis ac praeter omnes pauper et misericordiā dignus. Quem cum aspexisset episcopus, statim pietate⁶ permotus quaesivit e diacono⁷ suo, quantum viatici⁸ adhuc sibi superesset.

— «Tres nummi aurei», — ille respondit.

— „Age, hos cunctos da isti pauper-rimo!” — rettulit Germanus.

— At diaconus: «Quid porro» inquit «domine, nobis ipsis restabit iter perrecturis?»

— Tum episcopus: „Deus satis habet, quod nos conservet; ergo dona, quod possides: nummos illos tres laetus porrigel!”

Nihilo tamen setius⁹ duos tantum nummos diaconus praebuit pauperi, tertium callide retinens, ne quis forte se incusaret temeritatis.¹⁰

Paulo post viatores nonnullos equites viderunt subsequentes, qui postquam celeriter appropinquarunt, episcopum pie sic sunt allocuti: «Misit nos *Leporius* dominus noster, qui tibi, episcope reverendissime, se commendat enixe¹¹ nosque iussit in manus tuas dare hos ducentos aureos¹² et te suis verbis salutare nomine pacis.»

Deinde *Germanus* ad diaconum: „Accipe hoc munus!” et ad equites: „Peto a vobis, ut *Leporio* gratias nostras referatis ex intimo pectore natas dicatisque nos ex animo id esse acturos, ne beneficio eius male utamur.”

Quibus dictis et equitibus dimissis denuo ad diaconum se vertens: „Tu — inquit — non minorem nobis fecisti fraudem, quam illi pauperi; hunc uno defraudasti nummo, centum¹³ nos privasti. Nam si tres, ut ius-

¹ óvatosság ² a mai Autun (Fr. orsz.) ³ alamizsna ⁴ ajándék ⁵ osztogat ⁶ (itt) szánalom ⁷ segédlelkész, titkár ⁸ útravaló, útiköltség ⁹ hanem azért mégis ¹⁰ gondatlanság ¹¹ kiváló tisztelettel ¹² aranytallér ¹³ (ablativus)


seram, dedisses pauperi nummos, Deus nobis clementer misisset trecentos. Cognoscamus igitur muneris deminutione¹⁴ plane comprobari, quam vana sit nimia cautio!

¹⁴ az adomány megrövidítéséből.



Rediit iam ver; rediit et animus¹ ludendi.¹ Colit iuventus omnia genera gymniorum, praecipue autem pilam² pede² pulsandam.² Tot iam sunt circuli pilae pede pulsandae, totque ponuntur³ certamina,³ ut omnium nequeas rationem⁴ ducere.⁴ Referendum tamen visum est nobis de certamine pilae pede pulsae, quod positum est Nonis Maiis Viennae coram quindecim milibus spectantium inter catervas⁵ selectorum⁶ Austriacorum et Hungaricorum. — Hinc quidem Hungari nullam reportarunt gloriam; victores enim evaserunt Austriaci secundum relationem 3:1.

¹ a játsszó kedv ² a labdarugást ³ annyi versenyt rendeznek ⁴ számon tartani ⁵ csapat ⁶ válogatott.



Quomodo volantes Italici diem¹ viridium¹ celebraverint? — In actis² diurnis² bellicis die XI. ante Calendas Maias haec in albo³ proposita³ leguntur: «Heri pomeridie e septem machinis volatilibus Italicis viginti quinque globuli⁴ pyroboli⁴ in Tergeste⁵ coniecti sunt. Ex incolis novem, inter eos quinque pueri, mortui sunt, quinque vero vulnerati. Monasterium Salesianorum, in quorum templo forte quadringenti pueri

¹ nagycsütörtök ² napijelentés ³ közölve, kiírva ⁴ bomba ⁵ Triest

sacris⁶ publicis⁶ intererant, dirutum est. Hostes hoc impetu iura quaecunque vel surrogata,⁷ quae oppidis suis indulgentiam⁸ praestarent, irrita⁹ sibi fecerunt.»⁹

Haec ergo est virtus Italiae perfidae: minitari mortem pueris innocentibus die festo in templo Dei orantibus.

Socii nostri Turci, qui hoc anno in proeliis cum Russis in Armenia commissis duo oppida, Arzem¹⁰ scilicet et Trapezuntem amiserant, nunc in Mezopotamia de Britannis victoriam gloriosam reportaverunt. Dedit se nempe Turcis Kutelamara quantum iam mensem ob iis oppugnata. Dux quidem exercitus Britannici Townshend, priusquam se dedisset, more¹¹ mercatorum¹¹ experimentum fecerat auro se redimendi; obtulerat¹² namque Turcis decies centum milia (1,000,000) pondo auri et omnes res¹³ suas tormentarias¹³ ea conditione, ut sibi cum exercitu incolumi¹⁴ abire liceret: sed irrisum est a Turcis istud propositum. Venit itaque in deditionem cum omnibus castrorum opibus et cum tredecim milibus (13,000) militum etiam ipse dux mercator Townshend.

Ex quo hiems¹⁵ praeteriit, dux clarissimus Hindenburg iterum-iterumque victorias pulcherrimas ad lacum Naroc de Russis reportavit. Sic quarto ante Cal. Maias quinque milia et septingentos captivos, quinque tormenta,¹⁶ undetriginta sclopeta¹⁷ perpetua¹⁷ et decem catapultas¹⁸ ab eo captas esse acta diurna retulerunt.

Britanni hypocritae¹⁹ urbi et orbi gloriantur se protectores esse gentium oppressarum, humanitatisque nomine se bella gerere pro libertate gentium minimarum. Nunc autem quae sit eorum humanitas et cura libertatis, ad oculos demonstrant res²⁰ novae²⁰ in Hibernia²¹ exortae. Hiberni enim, qui diu iam sub imperio Britannorum suffocati²² gemunt,²² quorumque magna pars desperata de salute nationis in Americam emigraverat, nescio qua spe inducti

⁶ isteni tiszteleten ⁷ igényt ⁸ kimélet ⁹ eljátszottak ¹⁰ Erzerum ¹¹ kalmár módon ¹² felajánlott ¹³ összes hadiszereit ¹⁴ sértetlenül, szabadon ¹⁵ tél ¹⁶ ágyú ¹⁷ gépfegyver ¹⁸ aknavető ¹⁹ álnok, képmutató ²⁰ forradalom ²¹ Irország ²² elfojtva nyögnek

diebus superioribus per totam Hiberniam, praesertim vero *Dublina*, rebellia²³ fecerunt contra Britannos. Sed vana sine viribus ira! Oppressi sunt omnes rebelliones²⁴ tempore brevissimo, duces vero eorum ad mortem condemnati. Vae victis!

Efficacissima²⁵ arma²⁶ telaque²⁶ Germanorum contra piratas²⁷ Britannos sunt naves²⁸ submergentes.²⁸ Cum autem navibus istis submergentibus etiam commeatus²⁹ negotiatorum³⁰ Americanorum periclitarentur, misit princeps eorum *Wilson* nuntium³¹ sic dictum ultimum ad Germanos, quibus bellum etiam ex America minatur, nisi naves suas submergentes coercuerint.

Responsa dederunt Germani iusta³² probeque³² sed quam recentiore iurgii causam lupi nostri illaturi sint, quis hoc praesagire³³ queat?

Aestiva horas computandi ratio.³⁴ Aestate sol prius oritur quam hieme: itaque ut etiam homines prius surgant priusque labores quotidianos ineant, neque negotia³⁵ ad multam³⁶ noctem proferant, dehinc a Calendis Maiis usque ad Calendas Octobres omnia munera³⁷ publica³⁷ unā horā prius sunt incipienda priusque finienda. Nullum tamen huius commutationis vestigium³⁸ in ordinibus ad horas praescriptis invenitur, quia commutatio mechanice³⁹ peracta est, ita ut pridie Cal. Maias noctu horā undecimā indices⁴⁰ horologiorum⁴⁰ in horam duodecimam promoveri iussi sint.

²³ fegyveres lázadás ²⁴ a lázadók ²⁵ leghatásosabb ²⁶ védő- és támadófegyver ²⁷ kalóz, tengeri rabló ²⁸ búvárhajók ²⁹ üzletek ³⁰ kalmárok ³¹ üzenet ³² méltányos és becsületes ³³ előre megérezni ³⁴ nyári óraszámítás ³⁵ foglalatosságait ³⁶ késő ³⁷ hivatalos dolgok ³⁸ nyoma ³⁹ gépiesen ⁴⁰ az óramutatók.



De microscopio¹ non mathematico.

Caius: Quid est hoc, amice?

Titus: Vitrum² hoc, carissime Cai, graeca voce microscopium dicitur.

¹ nagyító ² üveg

Caius: Quid hoc microscopium?

Titus: Microscopium est apparatus e lentibus³ vitreis⁴ ad res minimas perlustrandas⁵ constructus. Per istud, exempli gratiā, microscopium aspectae quaecunque res centumplices adauctae⁶ videntur.

Caius (perspicuens numerum 6): Frustratus⁷ es me, Tite! Ego putabam 600 me visurum esse; at nonnisi 6 video.

(*Martinus Gurka.*)

Tessera⁸ Iuliorum Caesarum Anglicorum: Veni, vidi, whisky⁹!

(*Maria Franz.*)

Margarethula saccharo¹⁰ a matre accepto oblita erat gratias agere.

Mater: Quid ergo? Quid est dicendum?...

Margarethula: Etiam unum precor.

(*Steph. Weisz.*)

Solon, cum ex amicis quemdam graviter moerentem¹¹ videret, in arcem eum perduxit hortatusque est, ut per omnes subiectorum aedificiorum partes oculos circumferret. Cum vero animadvertisset amicum sibi obsecutum¹² esse: «Cogita nunc tecum, — inquit — quam multi luctus¹³ sub his tectis et olim fuerint, hodieque versentur, insequentibusque saeculis sint habitaturi. Num quid tibi videtur? Si mortales cuncti omnia sua mala in unum locum conferre iuberentur, ex eo communi miseriarum acervo¹⁴ quid tu malles: tuam-^{ne} portionem¹⁵ ferre, an propria incommada domum deportare?»

(*V. M.*)

Magister: Dic mihi sententiam activam!

Discipulus: Avis¹⁶ nostra canaria¹⁶ canit.

Magister: Nunc commuta eandem in sententiam passivam!

Discipulus: Vicina¹⁷ nostra cantat.

(*Franciscus Sziklai.*)

De sane et convenienter responsis.¹⁸

Ante diem inspiciendae legionis¹⁹ instructor²⁰ cohortis ad gregarios²¹: «Attendite, milites! Cras Princeps²² Celsissimus,²² inspector exercituum generalis, legionem

³ lencse ⁴ üvegből való ⁵ megvizsgálni ⁶ nagyítva ⁷ becsaptál, lóvá tettél ⁸ jelszó ⁹ az angolok kedvelt szeszese italának neve ¹⁰ cukor ¹¹ búsulni ¹² megtette, szót fogadott ¹³ gyász ¹⁴ rakás ¹⁵ a reád eső részt ¹⁶ kanárimadár ¹⁷ szomszédnő ¹⁸ okos és értelmes feleletek ¹⁹ ezred ²⁰ őrmester ²¹ közhely ²² a Főherceg Offensége

nostram inspiciet. Mos est autem Suae Celsitati gregariorum quoque nonnullos alloqui.²³ Cum vero vos germanice parum aut nihilum intelligatis, commonefacio vos Suam Celsitatem haec tria quaerere solere: 1. Quot annos natus es? — 2. Quot annos tu iam militas?²⁴ — 3. Vivunt-ne tui parentes? — Si itaque vestrum quemdam allocutus erit, ad haec tria sane et rationi convenienter respondebitis!

Ipsò die inspectionis Princeps ad gregarium curiose²⁵ instructum:²⁵ Quot annos tu iam militas?

Gregarius: Celsitati Vestrae humillime refero:²⁶ Viginti quattuor!


Princeps: Incredibile faris. Quot ergo tu iam annos natus es?

Gregarius: Refero humillime: duos!

Princeps: Quid hoc? Tu-ne vesanus mihi videris, an ego tibi?

Gregarius: Utrique, Domine Celsissime!

²³ megszólítani ²⁴ katonáskodol ²⁵ gondosan kioktatott ²⁶ jelentem.



I.

Bestia sum, qua vix vobis optatior¹ ulla:
 Ut rara est hodie, sic mea cara caro.
 Officio² fungor² tristi,² sicut mea sors fert:
 Ut pascam³ vivos, caedor⁴ et emorior.

(Guil. Lhm.)

II.

Res modo splendida, cara, nitens, modo
 vilis inersque
 Vertice sublato sedula fit volucris.

(Guil. Lhm.)

III.

Ex syllabis: ci do et fa fe fer fi fir for
 lis me na ren tu componatur hexameter
 adhortatione quadam insignis, cuius unum-
 quodque vocabulum a litterā «f» incipit.

(Guil. Lhm.)

¹ kívánatos, ² szomorú az én rendeltetésem, ³ tápláljam, ⁴ levágatom,

IV.

Qui sunt illi, qui sive sint duo, sive quattuor, sive bis quaterni, attamen manent tres?

(md.)

V.

Qui sunt illi, qui sive sint tres, sive terni, sunt semper milia?

(md.)

VI.

Consto e tribus litteris et ego sum candidissima⁵ rerum: at mutatā littera mediā semper obscura⁶ fio, immo nonnunquam et omnino atra.⁷

(Jos. Geist.)

VII.

Constant e ternis litteris et nonnisi in vertice inter se differunt, etquidem ita, ut incipiat mater a «v», filia vero a «l». — Quae sunt istae consanguineae?

(B. et Car. Puskás.)


VIII.

a		b		l		n		s		u	
a	a	c	g	m	n	n	r	s	s	u	u
a	a	e	i	m	n	o	r	s	s	u	x
a	a	e	i	m	n	o	r	s	u	u	x
a	d	e	i	m	n	r	r	s	u	u	s
	d		i		n		s		u		s

Litterae ita sunt digerendae, ut in columnis imparibus deorsum, in paribus vero sursum lectae efficiant nomina: 1. deus Romanus, 2. herba palustris, 3. bestia silvatica, 4. animal valde mite, 5. instrumentum equis regendis, 6. aliud nomen gladii, 7. flumen Indiae, 8. insula maris Aegaei, 9. comes lucis, 10. metallum pretiosissimum, 11. proventus aetate, 12. pes arboris. — Series suprema et infima efficiet nomen ducis Romanorum clarissimi.

(Fratres Lengyel.)

IX.



legfőbb, ⁶ sötét, ⁷ fekete.

X.				XI.				XII.				
<i>(Steph. Gosztolai.)</i>				<i>(Georg. Vas)</i>				<i>(Henr. Löwensohn.)</i>				
vi	ta	non	ta	Sep	a	n	r	ac	t	s		
ga	i	tra	si	dor	e	s	n	i				
vi	est	non	am	est	e	m	t	a				
est	ri	est	*Ex	que	mu	r	l	I				
ras	sat	ni	que	⊙	se	in	mis	tem				
Con	ca	tis	me	iu	i	for	ior	ce				
mor	est	tra	hor	⊖	*Ma	no	cu	sit				
men	tis	di	non	⊕	fu	pos	re	sum				
vim	in			oq	quam	na						
<i>(Lili Politzer.)</i>				Ad rotatio-				<i>(Andr. Seemann.)</i>				
XIII.				nem alarum				XIV.				
				molae vento								
				agitatae.								


Ujpestinenses. — Tib. Cseresnyés, Duna-keszi. — Fratres Lengyel, Lud. Schrenk, Budafok. — B. Telkes, Beregszász. — Mich. Kocsis, Vindel. Polecsák, Steph. Kis, Dombóvárinenses. — Jul. Veress (etiam n. 7.), Esztergom. — Lud. Kövy, Alex. Grósz, Car. Kovács, Andr. Polyánszky, Debrecinenses. — Gabr. Papp, Szolnok. — Lud. Hullai (etiam n. 7.), Emer. Nemes, Jos. Nemes, Steph. Klein, G. Schwarcz, Henr. Löwensohn, Lad. Radó, Jos. Hofman, Adalb. et Car. Puskás, Alex. Deutsch, Georg. Szekeres, Edm. Szekeres, Keszthelyienses. — Andr. Seemann, E. Csöppentzky, Székesfehérvár. — Steph. Csics, Jos. Mandl, Georg. Halász, El. Horváth, M. Bátky, Tata. — Steph. Porubszky, Léva. — Lud. Belohorszky, Ujvidék. — Alex. Czuppon, Kiszeben. — Gisella Tarczay, Zagrab. — Olod. Masatschek et Jos. Mihalič, Lad. Fábrián, Sopron. — Jos. Láng, Geisa Búcsi, Zolt. Várady, Alex. Nagykálozi, Discipuli classis V-tae gymn., Lud. Brezsnýánszky, Car. Marton, Kiskunhalas. — L. I. (etiam num. 7.-mi) in castris Volhyniensibus. — Jos. Hradil, Vágujhely. — Alex. Ferenczi, Gyulafehérvár. — Jos. Bitay, Brassó.

Praemium fratribus *Stephano et Nicolao Gábor* sorte obvenit.

Solutiones aenigmatum numeri 8.

I. ros, os. — II. ensis, mensis. — III. pila. — IV. Sipientis est consilium mutare in melius. — V. Ut sementem feceris, ita metes. — VI. Errare humanum est. — VII. casa, Ares, ara, ac. — VIII. Pavo, avis, vis, os. — IX. taurus, Metaurus. — X. horologium. — XI. Odi profanum vulgus et arceo. — XII. Dux atque imperator vitae mortalium animus est.

Aenigmata recte dissolverunt: Samuel Löbl (num. 7.), Osc. Neubauer (num. 7.), Jos. Geist (num. 7.), Georg. Sándor (etiam n. 7.), Gust. Barabás (num. 7.), Joan. Kemény, Lad. Harmat, El. Brust, Des. Demetrovics, B. Wertheim, B. Wald, Jos. Geist, Aug. Prindl, Andr. Illos, Maria Franz, Discipulae VI.-tae classis gynaecogymnasii apud Sorores a Sacro Corde, Lud. Schneider, Nic. Szűcs, Steph. Springer, Steph. Georgi, Budapestinenses. — Rud. Wielatz, Csillaghegy, Bp. — Alex. Lövi, Steph. et Nic. Gábor, Jos. Kavin et Adalb. Roubicsek, Des. Vértes, Discipuli classis III. B. gymn.,



P. Sch. Quod Hungarice erat revera salse dictum, Latine conversum nihil habet salis; Hungarice scilicet *centuria*, et *saeculum* eodem vocabulo dicitur *század*, — sed non ita Latine! — *Jos. Hradil*: Litteras tuas tradidi administratori. — *Th. M. et B. S.* Et ego valde gaudeo, quod vobis fabula de lupu-pupo valde magno fuit gaudio. — *L. W.* Non est quidem reprehendenda tua ambitio, ut etiam tuum nomen in *Iuventute* legatur: at dum «*meum nomen*» similiaque scribis, id fieri nequit — *R. K. Iuventus* hoc anno, quia propter belli miseras perpaucos habemus Germanos lectores, nonnisi notis Hungaricis interpretata prodit.

Moderator ephemeridis: JOSEPHUS IRSIK, Budapestini, VIII., Koszorú-utca 27. I. 9., ad quem litterae quaecunque mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar Középiskola.